





I, 16.



I, 16.



77  
R E C T O R  
ACADEMIAE VITEBERGENSIS  
G E O R G I V S  
F R I D E R I C V S  
K R A V S D

DIGESTI VETERIS PROFESSOR  
PVBLICVS ORDINARIVS CVRIAE PROVIN  
CIALIS CONSISTORII ECCLESIASTICI  
SCABINATVS AC FACVLTATIS IVRI  
DICAE ASSESSOR ITEMQVE ORDINIS  
IVRIDICI H. T. DECANVS

I N S T I T V T V M

IOA. GEORGII HOMMITZSCHII,  
L. L. CVLTORIS ORNATISSIMI  
MEMORIAM LIBERALITATIS MARESCHALLIANAE  
ORATIONE ANNIVERSARIA

A. D. X. KAL. SEPT. A. R. S. C I D I D C C L X V .

I N A V D I T O R I O M A I O R I

C E L E B R A T V R I

C I V I B V S  
E T S T V D I O S O R V M F A V T O R I B V S  
C O M M E N D A T .

---

*Praemittitur Antiquitatum Germaniae Specimen XVIII.  
de originibus Saxonibus X.*









**I**llustratissimas esse origines stirpis, qua orti sunt serenissimi Principes nostri hodie in Saxonia feliciter regnantes, quum dudum eruditissimi viri ostenderint, tum IO. GOTTL. KRAVSIVS, quondam nostras, Theodorico iuste summam inter primores Germaniae nobilitatem vindicauit. Quod enim *vir egregiae libertatis* fuisse, tam ab ANALISTA SAXONE A. 1009. quam in CHRON. MONT. SEREN. appendice, et in VETVSTIS MONVMENTIS, a LVDEWIGIO publicatis, quae potiore ex parte cum ANNALIBVS VETEROCELLENSIBVS, ad Tylichium falso olim auctorem relatis, conueniunt, praedicatur, praeclare ex notione libertatis inter maiores nostros exposuit. Quum vero haud pauca supersint, quae eandem in sententiam disputari possint,



possint, hac occasione nonnulla delibare est animus. Quantum libertati veteres germani tribuerint, quum aliunde satis notum sit, hic non attingemus, illud monuisse contenti, quid, exstincta Carolina gente, optimatibus aestimationem pepererit. Bene Kraufius exemplum Conradi II. quem Salicum dicunt attulit, de quo Sigebertus scripsit iisdem prope verbis, *virum egregii generis et egregiae libertatis fuisse, quippe qui nunquam se submisserit alicuius seruituti.* Hoc autem quid fuerit, praeclare ostendit VIPPO in eius vita; *Conradus, licet genere et virtute atque in propriis bonis nemine esset inferior, tamen de re publica ad comparationem talium virorum,* de Ducibus autem et Marchionibus locutus antea erat, *parum beneficium et potestatis habuit.* Intelligimus hinc, in Sigeberto non cogitandum esse de quadam vera seruitute et ne de viliori quidem conditione vlla, quum nunquam probro habitum fuerit, ab imperio sub clientelae lege officia maiora et splendidiora ministeria suscipere, vt iam SENCKENBERGIUS (Select. T. III. p. 163. sq. et in praelog. p. 22.) egregie ostendit; sed de fide aliis primoribus sub beneficiorum lege obstricta id explicandum esse, sicuti in vetustis institutis clientelaribus Germanorum in inferiorem ordinem nobilitatis transcribebantur, seu, vt tunc loquebantur, ad inferiorem clypeum descendebant, qui a paribus dignitate aut ab inferioribus beneficia accipiebant. Sed nimirum potentiores dynastae et principes eo sibi videbantur nobiliores et beatiores, quo minus



nus aliis obnoxii propter concessas beneficio terras fierent. Clare hoc perspicimus ex supercilio Conradi Lubecensis antistitis. Henricus Leo, qui a Friderico I. hoc ius tenuerat, ut in prouinciis bello quaesitis ipse episcopos suprema auctoritate constitueret, quia de re diploma superest prolatum a MADERO, (Antiq. Brunsv. p. 121.) hunc Episcopum fecerat, et possessionibus donauerat. Quum vero in suspicionem rerum nouarum venisset, et Henricus ab eo postulasset, ut ritu clientis ipsi fidem iuraret, hic, teste HELMOLDO, (Chr. Slau. l. II. c. IX.) respondit: *modicam esse stipem ecclesiae suae: nunquam se huius intuitu libertatem suam occupaturum, aut cuiuslibet potestati submissurum.* Ita VIPEO (in vit. Conradi Sal. p. m. 435.) narrat de Friderico et Anselmo comitibus Sueviae, quum a rebellante duce Ernesto ad arma vocati fuissent, recusasse ipsos parere, reddita ratione, quia ab imperatore, cum fuerint liberi, ipsi tanquam duci, non tanquam domino, sint subditi, ut in hoc morem gerant non obstringi. Verba sunt Vipponis: *Nunc vero cum liberi simul, (videtur scriptum fuisse: simus.) et libertatis nostrae summum defensorem interea Regem et Imperatorem nostrum habeamus, ubi illum deserimus, libertatem amittimus.* Atque ob hanc liberorum dynastarum auctoritatem accidit, ut libertas et ingenuitas ipsam praecipuam nobilitatem inter maiores significarent. SCRIPTOR vitae Adalberonis Ep. Herbipol. ap. MABILLON. (Saec. Bened. VI. P. II. p. 664.) *magnae etiam nobilitatis*



*litatis et ingenuitatis habebatur. In vetusto instru-*  
*mento ap. DVELLIVM (Miscell. T. II. p. 281.) Bur-*  
*chardus comes Rottenburgensis vocatur vir praecla-*  
*re ingenuitatis. IOANNES VII ODVRANVS ad A.*  
*1338. (in Thef. Hist. Heluet. p. 38. b. in fine) scri-*  
*bit: Dissensio est orta inter dominos seruiciales et mi-*  
*lites simplices ex vnâ parte, et dominos liberae condi-*  
*tionis et magnae excellentiae ex altera parte, in terra*  
*Turgow nominata, scilicet inter dominos dictos de Ro-*  
*senberg et de Baldeg cum suis fautoribus ex vna par-*  
*te, et de End et comitem de Bregencia ex altera parte*  
*cum suis fautoribus. Quibus addere licebit, quae*  
*TENTZELIVS (Suppl. II. Hist. Goth. p. 413.) et*  
*ESTOR, V. III. (de Ministeril. §. CCLXXXI.*  
*CCLXXXII.) obseruarunt. Sed nihil nobis prae-*  
*stantius legere contigit commentatione illa doctissi-*  
*ma, de nobilitate Germanica, quae in KOENIGII Sele-*  
*ctis Iur. Publ. nou ff. (P. XXVI. sq.) legitur, et in cuius*  
*Sect. VIII. de veterum dynastarum dignatione et emi-*  
*nentia pulcre differitur, et vt hi postmodum maiora*  
*imperii officia atque principatus obtinuerint, eruditif-*  
*sime ostenditur. Hinc vero eo melioribus testimo-*  
*niis confirmabitur, Theodoricum hunc, quamuis*  
*nondum maioribus principibus, et quorum potestas*  
*ab imperii auctoritate ob creditas populorum guber-*  
*nationes creuerat, ad census fuisset, ea tamen nobi-*  
*litate et ditiois circa Bodam annem amplitudine*  
*fuisset, vt ad ordinem nobilium, e quo comites, mar-*  
*chiones, principes, et imperatores sumebantur, ea*  
*de*



de caussa referretur, quod hi liberi domini ipsi iam sub principum adpellatione ob libertatem, hoc est, quod potentatum nullo beneficiorum respectu hereditatis iure obtinebant, comprehendebantur, quod exempla tam ab his, quos laudauimus adlata, quam a nobis hic adiecta probant. Ceteroquin verum nihilominus esse, quod antea diximus, ministeria ab imperio cuique commissa, modo ab aequalibus aut inferioribus conduci suam fidem operamque haud sinerent, nihil derogasse nobilitati eximiae, clypeo fulgidiori, et libertati egregiae, DITMARTS locupletissimus testis erit, qui (l. VI. p. 152. ed. Maderi) de huius filio refert: *Insuper Zurbici Burgwardum, quem ANTECESSORES sui IN BENEFICIUM POSSEDERUNT, sibi et confratri suimet Friderico VENDICAVIT*; h. erit, proprie possessionis, seu alodii, iure, impetrauit. Fuerat ergo, nullo libertatis praeiudicio, castelli Zorbeccensis praefectus imperialis, seu vt verbo patrii sermonis vtamur, Burggravius, hic noster et liberrimus et nobilissimus vir, imo princeps Theodoricus. Reliqua eius aliis lucubrationibus erunt reseruanda.

Vestra, CIVES, ingenua et vera libertas, non luxurians ea, aut a Philippo Melanchthone repertam et notissimam adpellationem merita, tota, tota, quanta erit, aestimanda studiorum nobilitate, modestiae laude, morum probitate, et religionis severo cultu quum sit, quumque vos constet meliore ex parte in hoc intentos



tentos esse, vt vestris laboribus et decoribus a con-  
fortione vilis vulgi, quantum possitis, refugiatís:  
hoc vestro merito speramus, idque plane iure nostro  
postulamus, vt frequentes ac beneuoli ad audien-  
dum, qui ex Mareschallianae liberalitatis lege cras  
in auditorio maiore verba faciet *de litterarum mini-  
sterio verae religioni utili et necessario*, IO. GEORGI-  
VM HOMMITZSCHIVM, L. L. cultorem. Ita et fa-  
uendo studiis, et instituta pia et laudabilia maiorum  
reuerenter habendo, ostendetis, virtutibus vestris ve-  
ram vos gloriam consecrari. P. P. a. d. X. Kal.  
Sept. A. R. S. c1o 1000 LXV.

---

VITBERGAE,

TYPIS VIDVAE B. EICHSFELDI,





T. 2972

ULB Halle  
007 441 851

3




40











11

RECTOR  
ACADEMIAE VITEBERGENSIS  
GEORGIUS  
FRIDERICVS  
KRAVS D

DIGESTI VETERIS PROFESSOR  
PVBLICVS ORDINARIVS CVRIAE PROVIN  
CIALIS CONSISTORII ECCLESIASTICI  
SCABINATVS AC FACVLTATIS IVRI  
DICAE ASSESSOR ITEMQVE ORDINIS  
IVRIDICI H. T. DECANVS

INSTITVTVM  
IOA. GEORGII HOMMITZSCHII,  
L. L. CVLTORIS ORNATISSIMI  
MEMORIAM LIBERALITATIS MARESCHALLIANAE  
ORATIONE ANNIVERSARIA

A. D. X. KAL. SEPT. A. R. S. CIOIOCLXV.  
IN AVDITORIO MAIORI

CELEBRATVRI  
CIVIBVS  
ET STUDIOSORVM FAVORIBVS  
COMMENDAT.

---

*Praemittitur Antiquitatum Germaniae Specimen XVIII.  
de originibus Saxonis X.*